

quens antecedentem litera excedit Publilii, Porphyrii, Optatiani: quis ille. Diphtongi & Scriptura. Probl. VII. Reperire dato capite variationes. Probl. VIII. Variationes alteri dato capiti communes. IX. Capita variationes communes habentia. X. Capita variationum utilium & inutilium, Probl. XI. Variationes inutiles. XII. Utiles. Optatiani Proteus versus, (Virgilii Casualis) J. C. Scaligeri Bauhusii (Ovidii Casualis,) Kleppisii (praxis computandi Variationes inutiles & utiles) Caroli à Goldstein / Reimeri. CL. Daumii 4, quorum ultimi duo plusquam Protei.

Additamentum :

DEMONSTRATIO

EXISTENTIÆ DEI.

Præcognita :

1. Definitio 1. *Deus* est Substantia incorporea infinitæ virtutis.
2. def. 2. *Substantiam* autem voco, quicquid movet aut movetur.
3. def 3. *Virtus infinita est Potentia principalis movendi infinitum.* Virtus enim idem est quod potentia principalis, hinc dicimus *Causas secundas operari in virtute primæ.*
4. Postulatum. *Liceat quocumq; res simul sumere, & tanquam unum totum supponere.* Si quis præfractus hoc neget, ostendo. Conceptus *partium* est, ut sint Entia plura, de quibus omnibus si quid intelligi potest, quoniam semper omnes nominare vel incommodum vel impossibile est, excogitatur unum nomen, quod in ratiocinationem pro omnibus partibus adhibitum compendii sermonis causa, appellatur *Totum.* Cumq; datis